

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


**Disputatio Theologica: De Adiaphoris sive rebus  
indifferentibus**

**Hafenreffer, Matthias  
Kroll, Nikolaus**

**Tubingae, 1612**

**VD17 VD17 23:259831N**

[urn:nbn:de:bsz:31-128947](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128947)



60A 2690 R

Sum  
M. Caroli.

DISPUTATIO THEOLOGICA:

D E

Adiaphoris sive rebus indifferentibus;

QUAM

DEO SUMMO TRINUNO  
DIRIGENTE:

PRAESIDE:

*Reverendo atq; Clarissimo Viro,*

DN. MATTHIA

HAFENREFFERO, S.S. THEOLOGIAE

D. & Professore in Academia Tubingensi  
celeberrimo.

*Publici Exercitij gratia censendam proponit 3. & 4. Julij,  
horis & loco consuetis,*

M. NICOLAUS CROLLIUS,  
HAMBURG. SAXO.



TUBINGÆ:

Typis Johannis Alexandri Cellij.

Anno M. DC. XII.

DISCURSUS  
 DE  
 VERIFICATIONE  
 TESTIMONII  
 IN  
 IURISDICTIONE  
 CRIMINALI  
 AUCTORitate  
 DOMINI  
 MICHAELIS GROLLIUS  
 LEIPZIGIENSIS  
 ACADEMIE  
 PROFESSORIS  
 PUBLICI  
 LIBERAE  
 UNIVERSITATIS  
 MDCCLXXIIII

1  
AZ

Am  
 DN JOHANNES  
 DN NICOLAUS  
 Praepositor  
 Co  
  
 Spe  
 DR. GARD  
 DR. HERM  
 DR. ALBE  
 DR. NICO  
 DR. JOHANNES  
 Eiusdem  
 Dominis P  
 vancia  
  
 Salutem

  
 ...ia potest qua



*Amplissimis Atq; Prudentissimis  
Viris*

DN. JOHANNI WETKEN:

DN. NICOLAO JARREN:

Præpotentis Reipublicę Hamburgensis Senatoribus  
Consultissimis.

E T

*Speçtatissimis integerrimisq; Viris:*

DN. GARDEWINO CROLLIO, Patri amantiss.

DN. HERMANNO BEVER:

DN. ALBERTO OLDENHORST:

DN. NICOLAO von BERGEN:

DN. JOHANNI SELM:

Ejusdem inclytę reipublicę civibus primariis.

Dominis Patronis & meccœnatibus suis omni obser-  
vantia æviternum colendis.

*Salutem à Sospitate mundi Christo Domino  
precat.*



Xtat Amplissimi atque Prudentissimi  
Viri, Promotores æviternum colendi,  
apud Clementem Alexandriaum pul-  
cherrima de veritate sententia: Invi-  
cta est veritas, sed opinio falsa dissolvi-  
tur. Sane sententia hæc de relli-  
gione ac libertate Christiana usur-  
pari potest quàm rectissimè ac verissimè, siquidem illa  
fuit

A 2

fuit

EPIST. DEDICAT.

fuit olim acerrime oppugnata, atque etiam hoc tempore  
hostiliter oppugnatur, variisque persecutionibus hinc in-  
de jaçtatur: Ast invictam Deus summus Optimus Maxi-  
mus adversus hostes, qui instar gangræne serpunt, permul-  
tosque dolis & fraudibus seducunt à veritate ad men-  
daciùm: à verbo DEI ad fabulas: à fontibus Israelis ad  
cisternas in quibus non est aqua: ab immorta DEI  
voluntate & coelestibus mandatis ad traditiones hu-  
manas: immo à vita ad mortem: à cœlo ad infer-  
num: invictam (dico) retinuit ac conservavit hanc  
usque in diem, & servaturus, conservaturus in atern-  
num.

Cùm verò amplissimi & integerrimi viri Mecœ-  
nates perpetuum honorandi, me perpetua benivolentia  
complecti & plurimis maxumisque beneficiis exor-  
nare haud dedignati fueritis, intermittere minus potui,  
quin vobis hanc meam Disputationem inscriberem,  
ingratitude etenim (ut S. Bernhardus loquitur) est  
inimica animæ, exinatio meritorum, virtutum disper-  
sio, beneficiorum perditio. Hoc proin accipite, quic-  
quid est muneris, quod & reapse est exiguum, meæ in  
vos observantiæ pietatisque testimonium, benigno ac  
sereno vultu, meque ut hactenus fecistis benivolentia  
& favore complecti pergite. Ego vos DEO om-  
nipotenti trino & uni commendo, qui vos servet, con-  
servet incolumes & prosperos, Spirituque suo sancto  
regat atque gubernet ad sancti sui nominis gloriam, &  
honorem, vestramque salutem. Dab. Tubingæ è  
meo Museo die 16. Junij, Anno 1612.

A. atq; H. V.

Studiofissimus

M. NICOLAUS CROLLIUS.



## DE ADIAPHORIS

### THESIS I.

**C**ertamen adiaphoristicum saepe confudisse DEI Ecclesiam, ex divo Apostolo Paulo Rom. 14. satis abunde constat. Etenim docet, mutuas tum temporis inter Christianos ex utroq; populo gentili & judaico conversos, fuisse disceptationes condemnationesq; propter verum rerum intermediarum usum.

### II.

Et sane de observatione paschatos tragica sive tristis contentio fuit inter ecclesiam orientis & occidentis tempore Victoris Episcopi Romani, qui omnem orientalem ecclesiam non modo temeritudinis, sed & anathematis fulmine ferire ac percutere in animo habuit, ea ex re, quòd illa haud secundum receptum morem ecclesiae Romanae eadem die Pascha celebraret.

### III.

Quae & quanta extiterint disputationes vel potius hostiles digladiationes Theologorum in germania, circa dies publicati Interim de usu rerum indifferentium, historia dierum illorum testificatur atq; ratum facit.

### IV.

Nostro quoq; tempore difficili certe, atrocem nobis litem movent de adiaphoris, Confessionis Augustanae ἀντιπρόθετοι, Sacramentarii.

A 3

V. Qua



## Disputatio Theologica.

### V.

Qua de causa diligenti curi opus fuerit, ut mediam illam viam, & verè regiam libertatis Christiana viam in usu rerum adiaphorarum observemus & sequamur, quam exactissimè, ac eam quidem viam, quam divina dogmata fidelissimè nobis monstratam commendat amq; volunt.

### VI.

Verum enim verò antequam de re ipsa dicatur, sciendū est, res adiaphoras dupliciter sumi: vel in lata, vel in angusta significatione.

### VII.

In lata significatione pro quibusvis rebus medijs tã irreligiosis, quàm religiosis, qua nimirū per se simpliciter cense nec pro malis nec pro bonis haberi queūt: Ut puta esca, potus &c. In hisce namq; & alijs non est positum regnum DEI, eoq; aliquis vel benè vel malè illis frui aut non frui potest. Rom. 14. 16.

### VIII.

In stricta significatione pro ceremoniis sive ecclesiasticis, sive observationibus externis & sacris, ab hominibus institutis, sicut sunt certae feriae, festa &c.

### IX.

Ceremoniae, vox Romanis veteribus usitata fuit, qua omnem cultum divinum expresserunt.

### X.

Dicitur vel à carendo, ut arridet August. & Macrobio, quòd ceremonia res sit, qua ecclesia omnino carere nō potest: vel à Cere oppido Italiae, in quòd Romani sacra sua tempore tumultus Gallici transportaverunt, inq; eo servata fuere, id quod Livius testatum facit. l. 5. vel à Charitate, quod Ceremonia quàm maximè chara grataq; hominibus, ut Festus Pomp. scribit.

### XI.

Ceremonia autem aliae sunt veteris, aliae N. T.

## Disputatio Theologica.

3

### XII.

In V. quidem T. divinitus instituta & demandata erant easq; observare tenebantur: quarum duo genera potiss. recenset Apostolis Rom. 14. discrimen dierum & discrimen ciborum.

### XIII.

Tamen non ita necessaria fuerunt ceremonia haec, quin moribus & veris DEI cultibus, nec non necessitati cederent, ut patet ex Davide, qui panes propositionis, quos solis sacerdotibus manducare licebat, in casu necessitatis comedere haud veritus: Et Ezechia, à quo celebratum Pascha, neq; tempore, neq; modo eo, quo praeceperat Moses.

### XIV.

Reliquas autem gentes, ad Ecclesiae Confessionem & veri DEI agnitionem accedentes minimè obligant: nec à Prophetis tale onus impositum esse patet, ex gentibus conversis docent Exempla Cyri, Darij & Naamanis syri.

### XV.

Postquam autem Christus venit in carnem, & V. T. vaticinia & typos ac umbras opere ipso adimplevit, caeremoniarum leviticarum necessitas sublata est, ac proin nos in novo T. non necessariò obligant: Ubi n. est corpus, ibi umbra desinit Coloss. 2. 17. E. g. Umbra viri, qui luce seu sole post se posito ambulat, semper praecedit, Corpus autem viri sequitur, eoque ibi desinit umbra, ubi jam corpus adest. Et ubi lux ibi tenebrae cessant: Capè exemplum in umbra noctis & luce diei.

### XVI.

Et ita quia venit Christus ad nos suo immenso splendore & rerum praefigurarum complemento, apud nos locum amplius, non habent umbrae typhi & figurae.

### XVII.

Qua tamen abrogatione nequaquam per se male sunt reddita, sed indifferentes, quibus si usus sit, nos sine opinione necessitatis & meriti liberè possumus uti. Rom. 14. 6. Sicut etiam in prioribus aliquot annis propter infirmos apostoli aliquot

liquot ceremonialia observarunt, ut Timotheus gentilis circumciditur. Act. 16. 3.

## XVIII.

Verū quando ceremonijs istis accedit opinio necessitatis & cultus, opinio hæc Pharisaica & Papisica damnanda atq; ex ecclesia Christiana proscribenda est. Id quod Paulus fecit Gal. 4. 10. & 11. Siquidem delet universum Christi meritum, & doctrinam de gratia DEI, gratuitamq; imputatione justitia Christi per fidem, penitus extinguit.

## XIX.

His ita observatis nullo labore negotiove cognoscimus & animadvertimus, enormiter peccare illos, qui ceremonias sive ritus ecclesiasticos ideo indifferentes dici existimant, quod sine ulla exceptione, quoties & quomodo libuerit eas vel omittere vel usurpare liceat.

## XX.

Enimverò Christiana libertas haud est effrenis licentia, qua quicquid lubet pro nostro arbitrio vel agamus vel omitamus, sed est gratuitum donum per Christum Salvatorem nobis donatum, quo tum à maledictione legis, tum à iugo ceremonialium liberati, & Sancto Spiritu donati, incipimus sponte DEO servire in sanctitate & justitia.

## XXI.

Porro accuratè distinguendum est in ceremonialibus illis veteris testamenti, id, quod morale ac naturale est, à specialibus determinationib<sup>9</sup>. Naturale meritò retinemus, speciales v. determinationes quia involucra fuere, rectè dimovemus: Sic circumstantia de septimo die, de itinere Sabbathi Exod. 16. 19. de igne non accendendo Exod. 35. 3. sunt ceremonie speciales, eorū nos minimè obligant. Hinc Apostoli ex consensu totius ecclesie & autoritate apostolica mutarunt diem septimum, & ministerio seu publicis congressibus vendicarunt diem Dominicum, sine opinione cultus ac meriti & necessitatis, salva libertate Christiana. Act. 20. 7. Qua-

## Disputatio Theologica.

5

### XXII.

Quare, quoniam ceremonias V. T. quo ad speciem sive determinationes illas speciales ex ecclesia N. T. proscribimus, nequaquam omnes ritus ecclesiasticos ex eo removemus, sed eos, qui referuntur ad gloriam Dei, quiq; profunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in ecclesia, recipimus, amplectimur, & usurpandos ac retinendos esse sentimus, quippe Dei voluntas est, ut omnia in ecclesia fiant εὐχρηστικῶς ἔκ τῆς ἀξίας sive deceniter & bono ordine. 1. Cor. 14. 4. Modò tamen cuiusvis Ecclesie potestas relinquatur libera disponendi in illis, & quidem pro statu tum ecclesie, tum temporum, tum personarum.

### XXIII.

Igitur ordo iste non instar Romanensium ceremoniarum indecorus esse debet, sed totus insigni cum gravitate contextus: ita quidem ut ex illis tanquam externis ceremoniis seu ritibus de interno religionis cultu infallibile τερψιπρόιον peti queat: quid nimirum adscribamus, & tribuamus sanctissimo Dei verbo, quid Sacramentis (Baptismati & cæne Dominicæ) quid reliquis exercitiis ecclesiasticis, ad τὰ ἔργα τῆς εὐχρηστοσύνης unice ordinatis.

### XXIV.

Idcirco nos non patimur moveri cõvitiis & sarcasmis impiorum & Lucianicorum hominum, hereticorum, sacramentariorum, quibus illi reverentiam nostram externam, quam participaturi, tum sacris mysterijs vel genu flexionibus vel aliis ceremoniis, tum ministerio ecclesiastico offerimus, miserandum in modum exagitant.

### XXV.

Etsi vero ex eiusmodi externis ritibus substantia sacramentorum nil accedere vel decedere haud invito concedamus: Inde tamen de interna fide fieri posse, indicium ali-quod nemo facile inficias ibit: & simul alios quoq; ad sa-  
B crorum

rorum cultuū reverentiā & congressuum publicorum (qui disjungendi sunt à cyclosum & procorum concursationibus) amorem animari, incendi atq; impelli.

## XXVI.

Quamvis autem omnia debeant fieri ad edificationem & pacem, sine opinione culus, & ceremoniarū necessitatis, non tamen necesse est, ut ubiq; sint similes ritus aut ceremonia ab hominibus instituta, quandoquidem ritus dissimilitudo non tollit veram & Catholicam, vere & Catholica si-ve Ecclesia si-ve fidei unitatem, quæ consistit tantummodo in fide & spiritu, id quod exprimit ac edocet Apostolus Eph. 4.3. Estote, inquit, solliciti servare unitatem Spiritus donec accurramus omnes in unitatem fidei.

## XXVII.

Toto itaque pectore detestamur improborum & lividorum hominum, Pontificiorum insaniam, mordicus argentium conformitatem ceremoniarum ab hominibus constitutarum, de mandatarum, vel omnibus in Ecclesiis necessariam esse, tanquam vere ecclesia notam.

## XXVIII.

Etenim, quod non spectat ad salutem aut substantiam fidei & religionis, neg; à Deo ipso sancitum, sed ab Ecclesia libere introductum pro diversitate personarum, locorū, temporum aliarumq; circumstantiarum, illud certè non necessario obligat omnes omnium temporum & locorum ecclesias: Atq; ceremonia seu ritus ecclesiastici non spectant ad salutem &c. Ergò.

## XXIX.

In una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa, inquit, Gregorius. Una fides universæ, quæ ubiq; dilatatur ecclesiæ, etiamsi quibusdam diversis illis celebretur observationibus, Aug. Una est Ecclesia V. & N. T. licet rituum utrinq; longè maxima conspiciatur discrepantia. Hieron.

Ex

## XXX.

Ex quibus omnibus clarissimum evadit, ceremonias in-  
terdum naturam suam amittere & simpliciter malas ac illi-  
citas fieri, utpote quando manifesto contemptu summi numi-  
nis laborant, vel cum articulis fidei pugnant, vel libertati  
Evangelica adversantur: Qualis fuit ritus Moloch abomi-  
nandus in valle Gehinnon, quo idolo Molochino filios & filias  
suas cōsecraverunt Judei. 2. Par. 28. 3. Quales etiā sunt Ceremo-  
nia ista Papiistica: Invocatio sanctorū mortuorū, cultus reli-  
quiarū religiosus, votū cælibatus perpetuū, superstitio &c.

## XXXI.

Ita, quando quis interest decantationibus psalmorum,  
precum matutinarum ac vespertinarum apud Pontificulos,  
quibus (uti scimus) aliqua superstitio tanquam venenum as-  
suetur admiscetur, eo nimirū sine ut superstitio in presra-  
ctis confirmetur: Ut vel superstitione vel callida simulatio-  
ne impietas approbetur: Ut infirmi offendantur.

## XXXII.

Et cerè illud maximè spectandum est, ne infirmis scan-  
dalum prebeat.

## XXXIII.

Illi itaq; qui ex animi quadam imbecillitate & errore  
usu rerum adiaphorarum perturbantur, cum primis autem  
illis à quibus abhorrent, non sunt offendendi sic dicente Apo-  
stolo, si esca scandalizet fratrum meū non manducabo car-  
nem in aeternum, ne fratri meo sim offendiculo. 1. Cor. 8. 13.  
Non etenim pares incognitione rerum cælestium progressus  
omnes habet, tū magna, partim religioſa cōsuetudinis, par-  
tim conscientie vis esse assolet.

## XXXIV.

Sic, qui ab autoritate vetusti usus decepti in usu rerum  
vere indifferentium hallucinantur ac ambigunt, utrum

omnium animalium usus concessus sit (qua in classe Petrum Apostolum fuisse legimus Act. 10. 14.) modo alios non offendant, tum certe corripendi sunt, ut Paulus Petrum iudicizantem inter gentes reprehendit. Gal. 2. 14.

XXXV.

Ita quoque qui id ipsum faciunt non ex hypocrisi, studio contendendi, aut quocumque alio animi morbo, de liberrimo verè λόγ ἀδιαφόρων usu non sunt (dico) offendendi, sed ferendi, fovendi, ac molliter fideliterque erudiendi, Verum nisi sint obedientes, graviter reprehendēdi ac redarguendi, nilque faciendum in illorum gratiam, sicut factō suo nos docet Paulus Gal. 2.

XXXVI.

Posse autem verè adiaphora tam abrogari, quàm usurpari non negamus: Communi tamen consensu & magistratus & ministerij.

XXXVII.

Veruntamen utrobiq; modus observandus est & finis tum abrogationis tum observationis, ut utrumque spectet ad libertatis Christianæ privilegia & proximi adificationem.

XXXVIII.

Ergo quando abrogatio Ecclesiæ perturbat, aut puriorem religionem permultis suspectam reddit, talis sanè abrogatio est pratermittenda.

XXXIX.

Magistratus certè illi excusari nequeunt, qui soli sine consensu ecclesiæ ac ministerij, non necessarias mutationes magna cum perturbatione suscipere satagunt.

XL.

Quare illis gratificari nec possunt nec debent fideles servi Christi, siquidem verbum cæleste defendunt, cunctas opes gazasve pretio suo longiss. superans.

XLI.

Tum autē cum primis magistratus & ministerium non modo

modo possunt  
 exemplis ab  
 iam Ezechie  
 Israel adfero  
 profectio &  
 Ex histo  
 obsequia  
 scripta a deo  
 nonnunquam  
 Sigitu  
 primis, qu  
 venerunt p  
 em vendicet  
 nūtiū inform  
 habet vel illu  
 liber, quippe  
 ritus nec dū  
 i statuat doc  
 indifferentib  
 At enim  
 libera minime  
 orationes.  
 i. Dicit  
 nem nostram  
 vni fabricim  
 su sanguine n  
 profuam: c  
 fit, volite pers  
 4. Occasionem

## Disputatio Theologica. 9

modo possunt, sed & debet adiaphora removere, si manifestis exemplis abusus aliquis illis comprobari queat, quem admodum Ezechias aneum serpentem ultra annos 700. in populo Israel adseruatum comminuit, cum circa illam imaginem superstitio & Idololatria invalesceret. 2. Reg. 18. 4.

### XLII.

Ex historiis patet, illas olim imagines quæ fuerunt ad ἰδωλοθησκείας sive idololatriam & cultum ordinatæ atq; usurpatæ, decenter & bono ordine fuisse expurgatas: Licet nonnunquam reformatores modum egressi fuerint.

### XLIII.

Si igitur unus aut alter ex simplicioribus, & ex iis imprimis, qui forte ex Pontificiis ad nostras Ecclesias venerunt, ritibus adiaphoricis efficaciam aliquam peculiaris vendicet, ille aliquamdiu fovendus & tolerandus atq; rectius informandus est: minimè tamen propter hunc Ecclesia hoc vel illud rectè constitutum, removere aut abrogare debet, quippe hac in parte non quid unus aut alter homo privatus nec dū rectè informatus, sed quid tota Ecclesia publicè statuatur doceatur de rebus ἀδιάφοροις seu intermediis ac indifferentibus, spectandum.

### XLIV.

At enim verò, tempore persecutionis adiaphora per se libera minimè abroganda & mutanda sunt, idq; sequentes obrationes.

### XLV.

1. Deum sanctiss. & altiss. offendimus. 2. Conscientiam nostram, cuius ille solus est Dominus, hominum servituti subiicimus. 3. libertatem, quam Christus pretiosissimo suo sanguine nobis acquisivit, ad humane libidinis nutum profanamus: & huc pertinent verba Pauli: Pretio emistis vobis, nolite fieri servi hominum. I. Corinth. 7. 23. I. Pet. 1. 19.

4. Occasionem hostibus vellicandi & calumniandi propinamus



namus praebeamusq. 5. Hostem in sua tyrannide ac impietate & infidelitate animosiores facimus, Cessione enim aliqua ipsis facta semper ad maiorem ferociam progressus ipsos fuisse, satis docuit experientia. Quia namq. principia semper sunt difficillima, ideo parva mutationū initia proponi ab ipsis asolet, ut per ea aditus reliquis omnibus secuturis impietatibus patefiat, unde magnus ille Philosophus Aristoteles in politicis etiam parvas mutationes cavendas esse monet, quia per eas aditus paretur maximus.

## XLVI.

6. Dissimulatio, quae Christianos haud decet, periculosa, pessima & exitiosa est; hic certè piorum mentes auresq. semper circumsonet fulmen illud verborum Christi: Qui me confessus fuerit coram hominibus, eundem & ego confitebor coram Patre meo caelesti; Qui me negaverit, negabo & ipsum. Matth. 10. 32. Et in hoc casu non tantum negatio ipsa fugienda est, sed omnes quoq. pernegationis species.

## XLVII.

7. Occasionem infirmioribus vel errandi vel ambigendi saltè praebeamus, quod in Epistola ad Rom. à Paulo cavetur cap. 14. & 15. 8. Ecclesia apud alios male audit, suòq. peculio (quod est libertas) à Christo sponso sibi dato defraudatur, privatur, orbatu atq. in servitutem redigitur, contra Apostoli fidelissimam praeunionem: libertate qua Christus vos vocavit state, & nolite vos iugo servitutis implicari Gal. 5. 1. 9. Eiusdem edificatio impeditur, quod fieri certum est, ubi traditionum humanarum iugo collum submittitur & cum infirmorū scandolo mutationes suscipiuntur. 10. Articulus Christianae libertatis labefactatur, concutitur ac avertitur, quamprimum enim in gratiam adversariorum servitus in rebus indifferentibus admittitur in liber-

## Disputatio Theologica.

11

*Libertatis Christiana articulum protinus impingitur. 11. Doctrina de cultu divino traditionibus humanis fermentatur, conspurcatur. 12. Veritas Evangelij apud nos impura redditur.*

### XLVIII.

*Et exemplo potest esse Eleazar, qui usum Suillaũ carniũ ne ore quidẽ simulare in gratiã tyranni volebat. 2. Mac. 6. 24.*

### XLIX.

*Ast, occinũt adversarijs, quod huiusmodi cessione firmior pax ecclesijs concilietur. Pax sanẽ illa est lubrica & momentanea, imò & cum detrimento ipsius religionis conjuncta. Etsi vel maximè bonum aliquod ex cessione illa sit sperandum, minimè tamen sunt facienda mala ut eveniant bona. Rom. 3. 4.*

### L.

*Jam nunc in specie ceremoniarum Ecclesiasticarum mentio facienda erit, ut sunt Ferie, Festa, exorcismus in baptismo, altaria in usu eucharistia, musica, imagines, & statua in conventibus ecclesiasticis, de quibus nobis lis est tum Sacramentariis.*

### LI.

*Feria seu festa N. T. vel hebdomadaria sunt: ut dies Dominicus, vel anniversaria ut festa Servatoris, nimirũ nati-  
vitatís, Circumcisionis, Resurrectionis, Ascensionis ad cœlos, Missionis Spiritus sancti, Trinitatis & memoria Sanctorum.*

### LII.

*Dies Dominicus, quo ad genus seu morale, divinitus est constitutus, quoad speciem seu ceremoniale, ab Apostolis ex consensu totius Ecclesiæ est ordinatus, ut perpetuo nobis revocet in memoriam Dominica resurrectione.*

resurrectionis beneficium, ut credentes intelligant se legis jugo liberatos esse. Act. 20.7. Unde & Dominicus est dictus: Ergo observatur à nobis non superstitionis, sed ministerij, ordinis, disciplina & exercende pietatis causa.

## LIII.

Festa Christi anniversaria, à nobis Christianis celebrantur in honorem salvatoris nostri Jesu Christi, repetitione & sancta recordatione precipuorum beneficiorum, ab ipso ecclesia prestitorum.

## LIV.

Memorie sanctorum Ecclesia Orthodoxa certos dies consecrat, non ut sanctos invocemus, invocatio enim est potiss. Pars cultus Dei, ideoq; soli Deo debetur ex ipsis mandato. Matth. 4 Psal. 50. Sed ut dona insignia sanctorum celebremus, ipsosq; eo nomine laudemus, quòd fideliter in Dei gloriam & ecclesie commodum ijs usu sint, sicut ipse Christus ad fidelē servum Matth. 25. 21. Euge serve bone (inquit) & fidelis, in paucis fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Matth. 25. 21. Ac deniq; ut sanctos imitemur in pœnitentia, vita, cultu, confessione, constantia, patientia, & aliis virtutibus, juxta illud Apostoli: Imitatores mei sitis, & observate eos, qui ita ambulant, sicut nos habetis pro exemplari. Phil. 3. 17. Heb. 6. 12. Ne sitis segnes, sed imitatores eorum, qui per fidem & patientiam hereditatem accipiunt promissionum. Phil. 2. 15. Heb. 11. 1. Tim. 1.

## LV.

Extrema ergo dementia est, quòd sacramentarij nostras ecclesias (Christianas) propter illarum observationem papismi accusant, cum ipsis notissimum sit, nos cum Pontificia Idololatria, qua Deus suo honore gloriaq; orbat, & sancti demortui ignominia afficiuntur, nihil commune habere.

## LVI.

Sic exorcismus in quibusdam ecclesiis retentus est, ad-  
huc

*Disputatio Theologica,* 13

*huc sanè retinetur, absque omni tamen Papistica superstitione, & nullo præjudicio libertatis Evangelicæ earum Ecclesiarum, à quibus absque ullo dolo malo & scandalo initio abrogatus est.*

L VII.

*Ad templa & altaria quod spectat, haud destruimus illa, sed retinemus in nostris Ecclesiis, itidem pro libertate Evangelicæ sine omni superstitione: Et si verò illis commiserunt Pontificii horrendam detestandamq; idololatriam, dum Angelis & Sanctis mortuis altaria erexerunt & exstruxerunt, nos tamen ad honorem Dei iis piè & rectè utimur.*

L VIII.

*Nam si Christus in templo Hierosolymitano variis modis polluto docuit. Matth. 21. Spelunca enim latronum factitatum est. Luc. 19. 46. 2. Si Paulus altare Athenensium ignoto cuidam Deo consecratum non confregit, sed concionando & docendo reformationem instituit. Actorum 17. 23. quid ni etiam nos utrunque retinere & eo rectè uti possemus, nihil enim immundum, nisi ei qui existimat. Rom. 14. Ergo nobis de Christiana libertate rectè sentientibus, neque altare neque templum immundum est.*

L IX.

*At (inquiunt) præcepit Deus dirni altaria gentium, Exod. 34. Deut. 12. Est Elenchus r̄s aicis causa namq; erat hæcce, quia præter unicum illud Jerosolymitanum. Deus nullum aliud esse voluit: Quod si præceptum. Deuteronom. 12. simpliciter esset mordicus urgendum, tum altaria non modo, sed & ipsa quoque templa subvertenda atque destruenda essent.*

L X.

*Musica, tum instrumentali tum vocali utimur, haud ad voluptatem carnalem, sed ad veri Dei celebrationem*

C

& ani-

& animos hominum ad devotionem excitandos: Augustinus scribit, se musica harmonia sæpè adeò commotum, ut ex devotione inter canendum lacrymas profuderit: & Ambrosius libr. 9. Confessionum; se musica sub Arianorum persecutione animum suum erexisse & non parùm confirmasse: Et David omnium musicorum Princeps, jubet, vult, præcipit, ut Deum laudemus, non tantum voce, verùm etiam musica & musicis instrumentis Psalm. 149. & 150.

## LXI.

Quia etiam musica harmonia & concertus, monet de fraterna animorum Còcordia, & Confessionis harmonia & conspiratione, certè musica harmonia pius etiam potest esse usus.

## LXII.

Ad imagines quod attinet: in illarum doctrina in excessu peccant Pontificii, qui prorsus necessitatem faciunt de imaginibus in templis retinendis, tanquam parte haud postrema religionis, quique docent imagines honorandas, venerandas, salutandas, amplectendas, osculandas, colendas, & adorandas esse, non solum per accidens, vel improprie, sed etiam per se & proprie, ita ut ipsa terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solum ut vicem gerunt exemplaris. Bellarm. l. 2. de imagin. Sanctorum, cap. 11. Pistorius, Gregorius de Valentia l. 2. de Idololatria, cap. 7.

## LXIII.

Quos refutamus hoc Syllogismo: Quicquid accedit ad superstitionem & impietatem gentium, 2. pugnat cum Sacris literis: illud in vera Dei Ecclesia locum habere non debet. Talis est cultus imaginum apud Papistas. Ergo. Assumptum probatur ex Esai. 40. 17. Jer. 10. Habac. 2. 18. Sap. 14.

Sapient. 14. Actor. 17. 25. Rom. 10. 23. 2. *Ex primo precepto Decalogi: Quia solus Deus est adorandus & quidem haud aliter, quàm ipse prescripsit suo verbo: Unde hoc emanat: quicumque se incurvat imagini & eam colit, ex ore ipsius Dei est Idololatra.*

LXIV.

*Deinde in illarum doctrina in defectu peccant Calviniani, accerrimè contendentes, nullas prorsus imagines, etiamsi nec colantur vel adorentur, in templis habendas atque tolerandas esse Calvin. l. 1. Instit. cap. 11. Sect. 13. & 14. Petrus Martyr. Claf. 3. com. c. 5. Sect. 22.*

LXV.

*Inter quos nos viam regiam servamus, docentes: Historicum usum imaginum non simpliciter esse damnatum, nec simpliciter prohibitum extra casum cultus & adorationis. Constat enim in ipso tabernaculo & in templo Salomonis, Historia, commonfactionis, significationis, & ornatus gratia fuisse imagines Exod. 25. Hebr. 6. Num. 21. 3. Regum 6. Et in medio Cherubim Deus solebat loqui Num. 7. Cherubim autem habuisse faciem hominis liquidò constat ex Ezechiel. cap. 41. Utinam fieri posset ut & cœlum, & terra, & aqua, omnia quoque animantia, & plantæ, & si quid aliud est, sive per colores, seu per picturas, aut voces posset nos commonefacere de Historia Christi & Sanctorum, inquit Gregorius.*

LXVI.

*Quæ tamen haud ita accipienda, quasi imagines cum verbo Dei æqualem energieam sive efficaciam habeant:*

C 2

Deus

Deus enim dedit Scripturam ad instructionem & excitandam devotionem 2. Tim. 3. 16. & qui illis indiget querat in verbo, quod est potentia seu virtus & efficacia Dei. Roman. 1. 16. Imagines quia suum habent usum ἐπιόμεις sive secundario ponuntur inter adiaphora, & corporalia illa exercitia, quae Paulus ad modicum utilia esse dicit. 1. Timothæum 4. 8.

## LXVII.

Non autem probamus, sed detestamur illas imagines, quae turpitudine ac lascivia & obscœnitate pollutæ sunt, quas à Christianis, qui omnibus in rebus summam pietatis & honestatis rationem habere debent, abesse jubemus quàm longissimè.

## LXVIII.

Neque Dei imagines humano ingenio sunt pingende aut fingende, siquidem Deus est Spiritus, & divinitas invisibilis & infinita. Rom. 1. 20. Excipimus tamen Dei manifestationes in certa forma, quas pingi posse & tolerari minimè inficiamur.

## LXIX.

De fractione panis: Calviniani inter se dissentiunt, nonnulli fractionem panis ad præfigurandam Corporis Christi in cruce fractionem Sturmii in der abgenötigten Antwort pagin. 66. & seqq. Piscator Herborn. in Analyfi, Matthæi. 26. pagin. 678. alii fractionem panis & effusionem vini in calicem, tanquam partem Cœnæ essentialem, sive integram Godlen. Disp. 3. Philosophico-Theologica, alii ut ritum & conditionem necessariam eam mordicus urgent. Keckerm. libr. 3. Inst. Theol. cap. 8. pagin. 455.

## LXX.

Contra autem constanter negamus, & per negamus eo sine in Sacra cœna panem secundum Christi institutionem

nem

*Disputatio Theologica.*

17

*nem frangi debere, ut representet fractionem Corporis Christi in cruce.*

LXXI.

*Enim verò fractio illa panis, hoc est comminutio in plures partes, in ipsa actione S. Cœna, destinata ad representandam fractionem Corporis Christi in cruce (qua tamen propriè loquenda facta non fuit, teste Johan. cap. 19. 32. Exod. 12. 46. Num. 9. 12.) abducit Christianos, ab expresso Dei verbo ad signum a humani cerebri.*

LXXII.

*Nam tota doctrina de Sacra Domini Cœna, judicanda est ex institutione divina, tanquam propria sede, quæ descripta extat apud Matthæum cap. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Corinth. 10. & 11. Cum autem in ea nihil inveniatur de fractione Corporis Christi per panis fractionem præfigurandâ: rectè detestamur Sacramentariorum analogias, quas Christianis subdolè, magno conatu obtrudere annituntur: Contra Principium Theologicum: Unica Scriptura divina Christianæ veritatis est regula & amussis.*

LXXIII.

*2. Fractio illa præfigurativa tollit veram Corporis Christi cum pane in Sacra Domini Cœna præsentiam & manducationem, cum signum absentis corporis non possit dici medium exhibitivum & communicatio corporis verè præsentis.*

LXXIV.

*3. Fractio illa representativa adulterat, depravat, muliat, evertit interpretationem verborum Christi & divi Pauli de Sacra Cœna, quia ubi Christus dicit: Edite hoc est corpus meum Sacramentarii ita detorquent, ita corrumpunt; Hic panis est signum, figura, typus, sigillum corporis mei.*

C 3

Qui-



Quibus opponimus axiomata hæc: sola interpretatio Scripturæ literalis est argumentativa. Et allegorica interpretatio per se sola non probat.

Sed obiiciunt nobis exemplum, & mandatum Christi, & praxin primitivæ Ecclesiæ per permulta sæcula.

Agnoscamus quidem Christum fregisse panem, & Apostolos, & primitivam Ecclesiam, non tamen ad representandam fractionem corporis sui, sed propter distributionem inter communicantes, quod ex collatione Divi Pauli cum Evangelistis enitescit, Sic enim Divus Matthæus c. 26. 26. Cenantibus eis (inquit) accepit Jesus panem & benedixit, & fregit, & dedit discipulis dicens: Accipite. Marc. 14. 26. Fregit, & dedit eis dicens: sumite, edite. Luc. 22. 19. Fregit & dedit ipsis.

Propter hunc finem, nempe distributionem inter communicantes (sine qua celebrari Sacra Domini Cæna non potest) omninò necessaria est panis integri in plures particulas comminutio, ut singuli communicantes singula frustra accipiant: Ratione tamen temporis, fractionem panis liberam relinquimus, sive ante actum cænae, sive in ipsa cæna perficiatur.

Ex his itaque dictis liquet, Luthero nihil fuisse commercii cum panis fragio Calvinistico.

Quando verò Lutherus semper duas voces frangere & distribuere conjunxit, ideo factum, ut ita prius explicaretur per posterius, idque sanè sine *ἑρμηνείᾳ*: tunc etenim *ἑρμηνεία* est, nò quando idem bis dicitur, sed quãdo idem sapius

*Disputatio Theologica.* 19

*pius predicatur. Aristotelis 6. Top. cap. 2. Illudq; Philosophus declarat exemplo 1. lib. Eth. cap. 7.*

LXXXI

*Ita etiam vocabulum fractionis exposuit Cyprianus, quãdosc loquitur: Fide sincera panem sanctum frangimus & partimur, in sermone de coena: Et Paschal. Ideo hic solus est, qui frangit hunc panem, & per manus ministrorum distribuit, de corpore & sang. Domini cap. 15. Et Rupert. panem & vinum Sacerdos in ora fidelium distribuit l. 2. de Divin. offic. cap. 9.*

DEO SUMMO UNI ET TRINO  
*sit laus & perennis gratiarum actio  
seculis infinitis.*

M. NICOLAO CRULLIO,  
FRATRI, CONTER-  
*raneo & commensali suo.*

ROMA tibi TULLI quantum: tantum tibi CRULLI  
Hamburgum tribuat; patria utrique salus,  
Patria utrique salus curæ est: procurat uterque  
Omne sediste bonum corporis: ille animæ.  
TULLIUS illustris doctrinâ, legibus, armis,  
Laurum Parmasso nactus Apollineam.  
CRULLUS hic noster Sophiâ præclarus & ipso,  
Dogmate divino laureolam meruit.  
Primitias ROSA: majores res GIESA: TUBINGA  
Lauriferis obfert, has ADIAPHORICAS.  
Laurea grata tibi TULLI: tandem bone CRULLI  
Exspecta, dabitur laurea grata tibi.  
Sis: fias: maneas; discensque: docensque: beatè;  
Nunc: mox: perconstans; auribus: ore: fide.

*Arnold. Vatherus, Holst. Wagricus.*

F I N I S

DISP  
S

P R  
REVE  
M O V  
Theology  
Tubingen  
BEST

T

